

§ VIII.

45. Dicitur autem Ecclesia Electorum Invisibilis non ideò, quòd Electi pieq̄, fideles, ut homines alij, videre non possint: Quatenus enim Homines sunt, non Spiritus, quatenus terreno isto atque aspectibili incolatu utuntur, fruuntur: eatenus certè oculorum nostrorum regionem non effugiant,

46. Verùm ideò, quia Electio ipsa Dei est invisibilis, & Electi, quatenus Electi, sensibus externis, minimè omnium oculorum judicio patent: Sed soli Deo sunt noti, qui novit suos 2. Tim. 2, 19.

47. Quemadmodum enim, Apostolo teste, non qui in propatulo, sed qui in occulto est, est Iudeus: Ita Christianus etiam verus & electus fuerit, non qui in propatulo, sed qui in occulto est Rom. 2. 29.

48. Et sanè Ecclesia isthac Electorum, Invisibilis manebit ad diem usque novissimum: Quam ob causam etiam in Symbolo nos credere (non videre) Ecclesiam profiteamur.

49. Verùm enim verò Electi non tota sunt Ecclesia, ne quidem, si de vera duntaxat agatur. Nam Ecclesia Christi non Interiori solum fide constituitur: sed externa etiam dispensatione verbi & Sacramentorum: Quatenus autem hoc externo ritu peragitur, eatenus Vera Ecclesia, sanè est visibilis. Distinctè ergò, modo nunc explicato, loquendum est pontificijs de Ecclesia, si conditio eius aspectabilis rectè explicanda sit.

Bü